



Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Pro perfecta obedientia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

latur mihi omnia, tu saltem remaneas mihi obsecro, tu me possideas vita mea, re-
fectio mea, exultatio mea, quies mea & beatitudo mea, Amen.

Pro paupertate & charitate Precatio.

O Iesu fili dulcissime virginis Mariae, obsecro te per omnem inopiam ac pau-
peratam tuam quam pro me in hoc miserabili exilio pati es dignatus, ut ab
omnibus rebus creatis mentem meam elonges, spiritumque meum in te ra-
pias & stabilias, ut nihil in hoc mundo aliud quæram, quam quod ad simplicem
nudamque corporis & animæ sustentationem mihi necessarium fuerit: nec quic-
quam appetam vel concupiscam, nisi te Deum meum super omnia & in omnibus
diligere, ardentissimamque charitate inseparabiliter sine fine possidere, Amen.

Pro paupertate alia Precatio.

O Iesu pauperrime, rogo te per exuberantissimam tuam pietatem, fac me
semper & ubique tuæ amaræ potionis atque extremæ paupertatis in Crucē
recordari, quatenus discam paucissimis & vilissimis esse contentus, neque
delicata aut exquisita quæram cibaria, quæ magis appetitum prouocent, quam fa-
mem extinguant. Sustineam præterea tuo exemplo libenter paupertatem, om-
niumque rerum etiam necessariarum penuriam, ac omnia carnis oblectamenta ex
integro & perfecto corde fugiam atque detester, Amen.

Pro perfecta obedientia Precatio.

O Perlucidum Obedientiæ speculum, omniumque virtutum forma absolutif-
sima Christe Iesu amabilissima, cum alia via ad cœlestes tuas mansiones
non perueniatur, nisi per simplicem ac perfectam mandatorum tuorum o-
bedientiam: quippe cum omnes per protoplasti rebellionem ac transgressionem
filij irasimus effecti, da mihi obsecro intellectum, ut legem tuam diu noctumque cum
regio illo psalte David scruter, ac in toto corde meo illam custodiam. Deduc me
ergo in semita mandatorum tuorum, quia ipsam volo, ipsam desidero, ad ipsam
toto affectu aspiro & anheo. Nam qui operantur iniquitatem, & prauis suis desi-
derijs carnalibusque concupiscentijs obediunt, longè redeunt à te, neque in vijs tuis
ambulant. Non intret in Concilium eorum anima mea Domine Deus meus qui
dicunt: *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus, quia contrarius es studijs no-
stris, & via tua inique sunt.*

Ah pie Deus, afflictorum solamen & errantium reductor, ne in finem vsque er-
rare me sinas à te: sed iugo sanctæ obedientiæ subijce humeros meos & ceruicem
meam durissimam. Sit tibi anima mea filia Sion, cui in pace aduenias, quamque cum
omni benedictione eximie charitatis tuæ ingrediaris, inhabites & possideas: in
qua omnes actus meos dijudices, passiones refrenes, viresque animæ meæ pristinae
integritati restituas, quæque agenda & vitanda sunt edoceas. Fac me etiam verè sub-
ditum Vicarijs tuis in omnibus, quæ ad tuam spectant gloriam, & ad animæ meæ
salutem. Illumina quoque oculos meos internos, ne à sancta fide Catholica vn-
quam desciscam: aut S. Ecclesiæ instituta, Patrumque antiquorum sanctiones des-
piciam, aut peruerforum corruptorumque hominum persuasionebus me seduci vn-
quam permittam, Amen.

Pro